

## Lombardiæ Alpestris &amp; Occidua pars, cum Valesia.

Regio & unde  
dicta.

**H**ACTENUS in genere Italiam descripsimus: nunc ad specialiore[m] singularum Partium deliverationem nos accingamus. Italiam alii aliter diviserunt. Augustus, teste Plinio, in XI eam divisit regiones: Strabo in VIII partitur: In plures alii. Quibus omisis divisionem ac methodum nobis a Mercatore propositam sequemur. Occurrit in ea primo loco Tabula prima *Lombardia*, in qua Alpestris & Occidua ejus Pars, cum Valesia describitur. *Lombardia* hodie Euphoniae gratia dicitur pro *Langbardia*, sic appellata ab *Lang-bardis*, ex Germania huc Iustiniani Principatu profectis: qui ad utramque Padri ripam multos annos suas cum Imperio habuerunt sedes. Hæc *Cisalpina Gallia* olim dicta fuit. *Gallia* quidem ab *Gallis*, *Bois*, *Senonibus*, *Insubribus*, *Cenomannis* aliisque, a quibus quidquid Alpium radicibus Rubiconisque fluentis intercipitur, pulsus veteribus Colonis occupatum, fuit habitatum. *Cis-Alpina* vero dicta, quod priscis Italis, Romanisque Scriptoribus, de ea differentibus cis esset Alpes, quum alia trans Alpes habitaretur. *Cis-Alpina* hæc, qua Septentrionalissima Montibusque adhæret propius, *Sub-Alpina* cognominatur Plin. *Citerior* etiam appellatur Gallia Sall. Cæs. ob causam modo indicatam. *Veterem* quoque *Galliam* nominat Aufonius: *Italiam Gallicam*, γαλατικὴν Appianus in Hannibalicis: *Mediterraneam Italiam* vocat Notitia Provinciarum: non quod Mediterraneo adposita mari: sed quod in locis Mediterraneis: cincta, qua Septentrio, Occidens, Meridiesque sunt, Alpibus & Apennino tumescunt: qua Oriens est, Mari Hadriatico. Polybius & Plinius toti huic tractui Gallico formam tribuunt triangularem: cujus Apicem faciunt Alpes & Apenninus Montes: Basin Sinus Hadriaticus. *Florentissimum Italiae* latus appellat Tacitus. Vbiq[ue] arboriferam hanc regionem, pecori pascendo aptam, & multis irrigari fluviis, testis est Plutarchus in Camillo. Pereleganter autem de ea Sigonius: *Campi adeo culti & uberes intercedunt (de Pado loquitur) ut satis constet haud temere alios reperiri aut natura feraciores, aut rebus necessariis ad hominum vitam instructiores.* Addit deinde idem Sigonius antiquos ejus Principes fuisse *Ligures & Etruscos*: mox *Gallos*: postremo *Romanos* his *Gothos* successisse: *Gothis* iterum *Romanos*: Romanis *Langbardos*. Videndus & Sabellicus lib. Histor. Venetæ I, Decade IIII. *Gallia* autem *Cis-Alpina* versus Occasum duplex est Straboni, Plinio, aliis, vel *Cis-Padana*, vulgo *Lombardia di qua dal Po*, vel *Trans-Padana della dal Po*, illa quod cis, hæc, quod trans Padum. Hic vero *Lombardia Alpestris* Pars Occidentalis nobis describitur, quæ magnam partem *Lombardie Trans-Padane* complectitur. Est autem regio hæc licet valde montosa, atque alibi Silvis innexa, Naturæ luculentissimis dotibus varie locupletata: Valles enim & Campes tria loca solum fecundum fati habent, Triticum, aliarumque Frugum, item Vini abundantia beatum. Colles etiam præstantissimorum Vinorum feraces. Sunt & in silvis & Montibus Ferarum venationes frequentes. Urbes hic multæ sunt, ac Opida plurima: *Mediolanum*, *Crema*, *Bergomum*, *Comum*, *Clavenna*, *Luganum*, & c. quæ in Tabula conspiciuntur. Superat vero reliquas Italiae partes multitudine magnitudineque Lacuum hæc Regio: inter quos *Verbanus* Plin. & Strab., qui hodie, quod reliquis in hoc tractu fit major, *Lago Maggiore* Italis: Germanis autem *Lang-see*. Longitudinē ejus ponit Str. stadiorum ccc; Latitudinē

Situa.

Soli fertilitas.

Imperium majorem.